

Sicut de omnibus rebus, ita etiam de litterarum statu, qui nunc est, varia sunt hominum iudicia, variae sententiae. Sunt enim, qui hanc nostram aetatem omni liberalium artium et scientiarum genere ita florere putent, ut nos de earum interitu securos esse iubeant; aliis solidiorum studiorum decrementum deplorantibus, eorumque tantum non interitum metuentibus; non quod nostris temporibus multa in disciplinis emendata, multa quae maiores nostros fugiebant, inuenta esse negent, (quis enim, nisi iniurius in diuinam prouidentiam hoc negauerit?) sed ob leuitatem et multa alia maxima vitia eorum, qui nunc litteras tradunt ac discunt. Evidem non sum is, qui aut haec vitia excusare, aut totam hanc litem dirimere velit et possit, vel etiam reprehendendos esse existimet eos, qui nostros homines de periculis, quae bonis litteris imminere videantur, monent, omnibusque modis vigilant, ne quid res publica litteraria detrimenti capiat. Hoc tamen affirmare ausim, vitia ista, ob quae nonnulli litteris interitum omnianter, non ita propria esse huic nostrae aetati, ut maiores nostri et superiora tempora iis prorsus caruerint; contra vero caussas esse non leues, quae nos de scientiarum conseruatione et augmentis bene sperare iubeant.

Fuerunt iam ineunte Seculo XVII homines docti, qui interitura litterarum metuerunt, ex parte propter easdem caussas, ob quas nonnulli nunc etiam bonis litteris maxima pericula imminere suspicantur. Inter eos fuerunt MARTINVS SIMONIVS, Iurisconsultus Gallus, et OCTAVIVS FERRARIUS, Athenaei Veneti Professor, quorum ille a. MDCI edidit libellum *de litteris pereuntibus*, in Germania aliquoties recusum,*) hic autem circa idem illud tempus scripsit *de caussis p-*

A 2 euntium

*) Prodiit libellus teste Iano Nicio Erythraeo (in Pinacoth. Alt. n. XXI.) a. MDCI. et in Germania, vna cum Sanchezii Commentatione, *de multum nobili, et prima universalis scientia, quod nihil scitur*, Francofurtensibus formis

a. MDCXVII. iterum exscriptus est. Denuo prodiit sub hoc titulo: *Martini Simonii de litteris pereuntibus libellus. Praefationem adiecit et annotationibus illustravit Io. Hermannus ab Elswiche, Francof. et Lipsiae MDCCXL.*